



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

XVI. De his qui irrationabiliter vixerint, aut qui cum pecudibus versantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

tingant. A quibus quidem si se abstinere volunt, habeant potestatem; ita tamen, vt si quando cum oleribus coquuntur, eadem tamquam carnibus polluta non iudicent, sed ex his ad cibum assumant, quamvis a carnibus se abstineant. Quod si in tantum immundas & abominabiles iudicauerint, vt nec olera, quæ cum carnibus coquuntur, æstiment comedenda, tamquam non consentientes huic regulæ, cessare eos oportet & a ministerio & ordine suo. Si quis autem huic regulæ monitus non obedierit, sed carnes, vt dictum est, immundas & abominandas existimauerit, cessare debebit ab ordine suo.

X V.

Si qua de rebus Ecclesiæ, cum Episcopus non est, presbyteri vendiderint; placuit, rescisso contractu, ad ius Ecclesiasticum reuocari. In iudicio autem erit Episcopi, si constitutum precium debitum recipi, necne: propter quod sæpe contingit, distractarum rerum redditus ampliorem summam pro dato precio reddidisse.

X VI.

Quotquot igitur ante vigesimum ætatis suæ annum tale crimen admiserint, quindecim annis in pœnitentia peractis, orationi tātum incipient communicare: & quinquennium alterum in communione orationis solius perdurantes, post vigesimum cum oblatione ad cōmunionem suscipiantur. Discutiatur autem & vita eorum, qualis fuerit tempore pœnitentiæ; & iuxta hanc, humanitatem consequantur. Quod si quis perseverantius abusus fuerit

hoc

^{ANNO CHRISTI} ^{314.} hoc crimine , hic prolixius tempus , viginti annorum pœnitentiam , suscipiat . Qui vero exacta viginti annorum ætate , & vxores habentes , in hoc crimen inciderunt , post viginti & quinque annos pœnitentia acta , ad communionem orationum admittantur: in qua communione orationum altero quinquennio perdurantes , ad plenam communionem cum oblatione suscipientur . Quod si aliqui & vxores habentes , & excedentes quinquagesimum ætatis suæ annum , in hoc prolapsi sunt scelere , ad exitum tantum vitæ communionem mereantur .

XVII.

Hos eodem sane non solum leprosos criminè huiusmodi factos , sed & alios isto suo morbo repletos , placuit inter eos orare , qui tempestate iatantur , qui a nobis energumeni appellantur .

XVIII.

Si qui Episcopi suscepti non sunt a sua diœcesi , in qua fuerant denominati , & voluerint alias Ecclesias occupare , & vim facere Episcopis quos ibi inuenerint , seditiones excitando aduersus eos , hos segregari oportet . Quod si volunt in presbyteri honore in Ecclesia , vbi prius fuerant , residere , non repellantur a propria dignitate . Quod si etiam ibi seditiones concitare probantur Episcopis ibidem constitutis , segregari eos necesse est , & nihilominus presbyterii dignitate priuari .

XIX.

Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati sunt , professione contempta , inter digamos , id est , qui ad secundas nuptias transferunt , haberi debe-

Concil. Tom. 2.

I